



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De bonitate Dei, 32

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

me quærere te , & ostende te quærenti ; quia nec quærere te possum , nisi doceas tu , nec invenire , nisi te ostendas . Quæram te desiderando , desiderem te quærendo , inveniam amando , amem inveniendo .

## C A P V T XXXII.

*De bonitate Dei.*

1. **F**ateor , Domine , & gratias ago , qui creasti in me hanc imaginem tuam : ut tui memor , te cogitem , te amem . Sed sic est obliterata attritione vitiorum , sic est obfuscata fumus peccatorum : ut non possit facere ad quod facta est , nisi tu renoves & reformat eam . Non tento , Domine , penetrare altitudinem tuam , quia nullatenus comparo illi intellectum meum . Desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam , quam credit & diligit cor meum ; neque enim quæro intelligere ut credam , sed credo ut intelligam . Ergo , Domine , qui das fidei intellectum , da mihi ut quantum scis expedire intelligam , quia es sicut credimus , & hoc es quod credimus : quia credimus te esse aliquid , quo nihil maior aut melius cogitari possit . Quid ergo es , Domine Deus ? Quo maior meliusve nihil valet cogitari . Sed hoc quid est , nisi quod summum omnium solum existens per se ipsum , omnia alia fecit ex nihilo ? Quicquid hoc non est , minus eo est quo nihil maior possit excogitari : sed hoc de te cogitari non potest . Quod ergo bonum deest summo bono , per quod omne bonum ? Tu es itaque justus , verax , beatus , & quidquid melius est esse , quam non esse .

2. Verum

2. Verum malis quomodo parcis, si es totus & summe justus? An quia bonitas tua est incomprehensibilis, & latet in luce inaccessibili, & quam inhabitas? Vere in altissimo & secretissimo bonitatis tuæ profundo latet fons, unde manat fluvius misericordiæ tuæ. Nam cum totus & summe justus sis, tamen idcirco etiam malis benignus es, quia totus & summe bonus es. Minus namque bonus es, si nulli malo es benignus. Melior est enim qui & bonis simul & malis bonus est, quam qui bonis tantum bonus est. Et melior est qui malis & parcendo & puniendo bonus est, quam qui puniendo tantum. Ideo ergo misericors es, quia totus & summe bonus es.

## C A P V T XXXIII.

*De delectabili fruitione Dei.*

1. **O** Immensa bonitas, quæ sic omnem intellectum excedis, veniat super me misericordia illa, quæ de tanta opulentia procedit: influat in me, quæ profluit de te. Parce per clementiam, ne ulciscaris per justitiam. Excita te nunc anima mea, & erige te & totum intellectum tuum, & cogita quantum potes, quantum & quale sit illud bonum, quod Deus est.

2. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente, quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium, & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt à creatura Creator. Si enim est bona vita creata, quam bona est vita creatrix? Si jucunda

est